



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

Caput V. De conscientia, ejusque divisionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

& tunc, si nihil obstat, tutius est pœnitentem suaviter inducere ad repetendas confessiones præteritas. Existimo autem in praxi confessarium rarò moraliter certum esse, quòd talis ignorantia planè insuperabilis, & inculpabilis fuerit.

CAPUT V.

De Conscientia, ejusque divisionibus.

CONSCIENTIA sumpta, non pro memoria, seu recordatione ejus, quod à nobis benè, vel malè gestum est, sed pro judicio, quod circa aliquid agendum versatur, describitur: *Persuasio, seu existimatio, quo aliquid in particulari licitum, vel illicitum judicatur.*

1. Dividitur in *rectam, & erroneam*. Recta est, quæ, quod licet, licitum, quod non licet, illicitum arbitratur. Erronea à contrario est explicanda.

2. Dividitur in *dubiam, probabilem, & scrupulosam*.

Claritatis gratiâ placet materiam hanc Casibus perstringere.

CASUS IX.

PAULUS rem suam invincibiliter putat esse alienam, potèstne eam tutò retinere?

ix. Non potest, sed tenetur eam alteri tradere, retinendo enim, quantum in se est, consentiret in peccatum, paratusque esset illud admittere, quemadmodum, qui ex simili errore cibum innoxium veneno infectum putaret, tenetur à tali abstinere.

Si

Si error sit vincibilis, non licet contra conscientiam ei innixam agere, nec conformiter ad eam, ubi rem vetitam præceptam exhibet, aut contrà, sed eam deponere necesse est.

C A S U S X.

Petrus mercator init contractum, dubitat de ejus justitia, nec certum est, nec incertum, an peccet, suspendit omne judicium, & contractum firmat. Quæritur, an in re notabili peccati mortalis reus?

R. Aff. Quia exponit se periculo peccandi, cum nullam de actionis suæ honestate habeat persuasionem.

Nec refert, quòd fortè contractus non sit contra justitiam, quia hoc à solo pendet eventu, quòd actio de se mortifera non sit. *Quid igitur agendum habenti conscientiam negativè dubiam?*

R. Abstinentum esse ab actu, ob evidens peccandi periculum, & si incumbat agendi necessitas, debet dubium suum eò usquè deponere, ut persuasionem habeat de actionis suæ honestate. Consulat viros doctos, postulet à Deo superni luminis gratiam, attendat, & expendat rationum momenta &c.

1. An nunquam liceat sequi conscientiam vincibiliter erroneam?

R. Aff. Dum scilicet conscientia versatur circa materiam non prohibitam. Sic V. G. si quis putet, incumbere obligationem elemosynæ dandæ, & interim obligatio non est, potest illam conscientiam sequi.

2. Quotupliciter potest conscientia esse dubia?

R. Du-

2. Dupliciter: sc. positivè & negativè.

Conscientia positivè dubia est illa, *quæ iudicat aliquid licitum, vel illicitum esse cum formidine de opposito.*

Negativè dubia, quæ non est propriè dicta conscientia, est, *suspensio omnis assensus circa licentiam agendi, vel non agendi; ut dum quis in medio utriusque partis fluctuans, assensum suum ad partem alterutram determinare non valet.*

3. Quæ est conscientia probabilis?

2. Quæ innititur opinioni, seu sententiæ probabilis: sententia autem probabilis est, *sententia verisimilis, quæ nempe habet apparentiam veri, non tamen certitudinem.*

Alia est ab intrinseco probabilis, alia ab extrinseco. Probabilis ab intrinseco est illa, *quæ habetur vero-similis ob rationum momenta, quibus innititur.* Sententia probabilis ab extrinseco est, *quæ habetur vero-similis ob auctoritatem asserentium V. G. D. Thomæ &c.*

4. Estne licitum in moribus componendis sequi sententiam *minus tutam*, præcisè propter probabilitatem?

2. Neg. Quia numquam licitè agimus, nisi moraliter certi simus de actionis nostræ honestate. dum autem sequimur sententiam probabilem, præcisè ob illius probabilitatem, non habemus moralem certitudinem de actionis nostræ honestate, quandoquidè sola probabilitas non pariat nisi verisimilitudinem, periculi plenam.

34 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

Resolutio etiam locum habet in administratione Sacramentorum, ut patet ex hoc primo inter damnatos ab Innoc. XI. articulo: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.*

3. An numquam liceat sequi sententiam probabilem?

R. Numquam licet eam sequi *quà talem*, sed si cum probabilitate sententiæ occurrant aliæ graves rationes, ob quas formari posset dictamen conscientiæ moraliter certum de actionis honestate, licitum erit sequi sententiam practicè probabilem. Gravis autem ratio est agendi necessitas, quæ facit, ut liceat ponere actionem, quæ probabiliter rectæ rationi dissonat.

Talis autem necessitas est, quando ommissio actionis æquè probabiliter rationi disformis est, & nata est inducere plura incommoda. Declarari potest in marito dubitante de valore matrimonii, qui stante dubio ob rationes allegatas tenetur debitum reddere.

In administratione Sacramentorum conclusio etiam locum habet, quando Sacerdos in casu necessitatis, non habens materiam certam, potest, & debet sub conditione adhibere incertam. Sacramenta enim sunt propter homines, & per remedia fortè profutura tenetur consulere saluti proximi, ubi certa non habet.

6. Quid

6. Quid est conscientia scrupulosa?

R. Est vanus timor, seu anxietas sine fundamento.

Regulæ procedendi cum scrupulosis.

PRÆsciendum, scrupulos oriri ex quinque capitibus. 1. Ex nimio amore sui. 2. Ex nimia superbia, quâ quis proprio iudicio nimis solet inhærere, nec aliorum dictis acquiescere vult. 3. Ex diffidentia, quâ scrupulosi timent, ne ab aliis decipiantur. 4. Ex naturali complexione V. G. melancolia &c. 5. Ex iustitia Divina, quæ hominem in pœnam peccati liberiùs commissi, scrupulis involvi sinit, ne in peccandi libertatem coincidat.

Confessarius cum scrupulosis vel omnes, vel aliquas ex his regulis servabit.

1. Ubi deprehendet aliquem verè scrupulosum, numquam, aut saltem non nisi rarissimè permittat, ut pœnitens se suis conformet scrupulis, quamdiu scrupulosus non est quasi paratus jurare rem sibi esse certam: Hinc stultè anxium de vita præterita, non permittat loqui de peccatis præteritis, ea repetendo &c.

Dixi *verè scrupulosum*. Non enim ubi quis de repetendis confessionibus &c. angitur, statim scrupulosus est; nam iusti sunt sæpè illi timores à Deo incussi: Hoc sæpè experiuntur provectionis ætatis homines, qui in flore juventutis laxè vixerunt, habenas dantes cupiditatibus &c.

2. In dubiis Confessor præsumat scrupulosum non peccâsse, quia anxietas, quâ torquetur con-

tinuè, ipsum dubitare non sineret, sed certum redderet, si peccâisset.

3. Si sciat Confessarius, solos scrupulos pœnitentem à Communione &c. retrahere, adigat eum imperio suo, ut communicet, &c. etiam sine absolutione. Quare

4. Omni studio conetur, ut pœnitens obedientiam sibi promittat saltem ad tempus, ut adactus hoc voto non audeat infringere timore peccati certò committendi mandatum Confessarii, quod mandatum suum justum, ut efficacius demonstret confessor, juvabit interdum consilii ergò pœnitentem mittere ad alium probum & prudentem.

Ad scrupulos radicitùs tollendos, pœnitens iudicio se conformet prudentis Confessarii, quem scire debet Dei locum supplere. 2. Coram Deo se humiliet, & mentis flagitet illuminationem. 3. Quia scrupulus provenit sæpè ex proprio amore, exerceat se in actu divini amoris, ejus solam gloriam intendens, stolidam sui ipsius curam negligat, fiduciam habeat in eo, cui non deest cura de omnibus.

C A S U S X I.

Quidam Presbyter, dum perveniebat ad consecrationem Calicis, herebat, & dubitabat, utrum convenienter pronuntiâisset verba consecrationis, utrum habuisset intentionem &c. ita turbatur, ut præ angustia miros gestus oris & corporis præferret. Quæsitum fuit, quid Confessarius dicti Presbyteri deberet in tali casu facere, maximè quia
 ille

ille presbyter allegabat futurum periculum omittendi aliquod verbum consecrationis, nisi antea hæreret, & quasi deliberaret?

R. Confessarium dicto Præsbytero debuisse præcipere, ut nullo modo hæreret, sed unico tractu conjungeret verba consecrationis verbis præcedentibus: hæsitatio enim illa, & deliberatio adferebant notabile, & quidem spirituale incommodum, in celebrando indecentiam, infamiae periculum. Ex alia parte certum erat, dictum præbyterum habuisse sufficientem intentionem consecrandi. Unde quemadmodum stultum foret quærere, utrum quis haberet intentionem montem conscendendi, quem graviter onustus non sine ingenti labore & sudore conscenderet, ita similiter.

CASUS XII.

Quadam Devota vexatur variis scrupulis, & cogitationibus, V. G. inter legendas preces veniebat in mentem, quòd Deus non esset justus, celum non exstaret &c. nullum autem consensum dabat, sed credebatur illas cogitationes immitti à demone; unde verbotenus respondebat: Deum esse justum &c. non consentio, idque ideo, quia timebat, ne aliàs videretur consentire. Quæsitum fuit, utrum prædicta devota prudenter se gesserit verbotenus respondendo?

R. Eam pessimè egisse respondendo, quia talis responsio stultas fovebat cogitationes, quæ non erant dignæ responso, sed contemptu. Ipsa enim attentio ad scrupulum vitandũ, scrupulum parit.